Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

locuti sunt mendacia. Et non clamave-
runt ad me in corde suo. sed ululabant
in cubilibus suis. Super triticum et vinum
ruminabant. recesserunt a me.
Et ego erudivi et confortavi brachia
eorum. et in me cogitaverunt malitiam. Re-
versi sunt ut essent absque iugo. facti
sunt quasi arcus dolosus. Cadent in gla-
dio principes eorum a furore lingue
sue. Ista subsannatio eorum in terra
egypti. Capitulum. viii.

In gutture tuo sit tuba quasi aqui-
la super domum domini. pro eo quod
transgressi sunt fedus meum.
et legem meam prevaricati sunt.
Me invocabunt. deus meus cognovi-
mus te israel. Proiecit israhel bo-
num. inimicus persequetur eum.
Ipsi regnaverunt et non ex me.
principes extiterunt. et non
cognovi. Argentum et aurum
suum fecerunt sibi ydola ut
interirent. Proiectus est vitulus
tuus samaria. Iratus est furor
meus in eis. Usquequo non poterit // meus
emundari. quia ex israhel et
ipse est. artifex fecit illum. et
non est deus. Quoniam in aranearum telas
erit vitulus samarie. quia ventum
seminabunt. et turbinem metent.
Culmus stans non est in eis. ger-
men non faciet farinam. Quod si et
fecerint. alieni comedent eam. Devo-
ratus est israhel. nunc factus est in nati-
onibus quasi vas inmundum. Quia ipsi
ascenderunt ad assur. onager solitari-
us sibi. ephraym munera dederunt ama-
toribus. Sed et cum mercede conduxerint
nationes. nunc congregabo eos. et quie-
scent paulisper ab onere regis et prin-
cipum. Quia multiplicavit ephra-
ym altaria ad peccandum. facte sunt
ei are in delictum. Scribam ei multi-
plices leges meas. que velut aliene
computate sunt. Hostias afferent. im-
molabunt carnes et comedent. et dominus
non suscipiet eas. Nunc recordabitur
iniquitatis eorum. et visitabit peccata eorum.
Ipsi in egyptum convertentur. et oblitus
est israel factoris sui. et edificavit de-
lubra. et iudas multiplicavit urbes
munitas. Et mittam ignem in civi-
tates eius. et devorabit edes illius.

Noli letari israel. Capitulum ix.
noli exultare sicut populi.
quia fornicatus es a deo
tuo. Dilexisti mercedem super omnes
areas tritici. Area et torcular non pascet
eos. et vinum mentietur eis. Non habita-
bunt in terra domini. reversus est ephra-
ym in egyptum. et in assyriis pollu-
tum comedit. non libabunt domino
vinum. et non placebunt ei. Sacrificia
eorum quasi panis lugentium. omnes qui
comedunt ea contaminabuntur. Quia
panis eorum anime ipsorum. non intra-
bit in domum domini. Quid facie-
tis in die sollempni. in die festivita-
tis domini. Ecce enim profecti sunt
a vastitate. egyptus congregabit eos.
memphis sepeliet eos. desiderabile argen-
tum eorum urtica hereditabit. lappa in
tabernaculis eorum. Venerunt dies visi-
tationis. venerunt dies retributionis.
Scito te israel stultum prophetam insanum
virum spiritualem. propter multitudinem
iniquitatis tue. et multitudo amentie.
Speculator ephraym cum deo meo.
propheta laqueus ruine factus est su-
per omnes vias eius. Insania in
domo dei eius. profunde peccaverunt
sicut in diebus gabaa. Recordabitur in-
iquitatis eorum. et visitabit peccata eorum.
Quasi uvas in deserto inveni israhel.